



† R. P. Theodorus Runner (1853–1935)

(Prov. Argentorat.)

Huius eximii sodalis longa vita manifesto in tres periodos apte distinguitur: prima, 28 annorum, complectitur annos formationis, motus multiplicis plenos; alteram, 30 annorum, constituit gloriosum illud actuosumque tricennium (1881–1911), quo hic eloquens missionarius prudensque Superior in Hispania plurimorum oculos in se convertit; ultimam vero vitae periodum, 24 annorum, P. Runner totam in umbra transegit, vivens aegrotus in communitate Epternacensi (*Echternach* in Magno Ducatu Luciliburgensi), fideliter apostolatum, non verbi, sed solius confessionalis et patientiae bonique exemplii exercens atque sic semper et ubique genuinum S. Alfonsi filium sese ostendens.

Theodorus Runner ortum duxit a. 1853 e pago Alsaciae superioris Westhalten et eundem quidem, ac Congregatio nostra, habuit natalem, diem 9 Novembris. Patruus (vel avunculus?) eius, parochus loci Osthofen, saepe puerum ingenii egregii bonaeque indolis secum ducebat in vicinum Montem Episcopalem, unde vocatio Redemptoristae in Theodoro nata est. Nondum quindecim annos completos habebat, cum nostrum primum iuvenatum ingressus est, tum ipsum (1868) a P. Desurmont in Teterchen fundatum. Post biennium, exorto bello, in Avon mittitur novitius, inde ob eandam rationem in Contamine Sabaudiae, inde in Landser Alsaciae, inde, absoluto sine votis novitiatu sane parum regulari, in studiorum domum Teterchen, ubi tandem pridie Kal. Apr. 1872 vota nuncupavit.

Verum etiam professus manet alter *πολύτροπος* Ulixes; a Teterchen enim transit in S. Nicolai collegium, inde in Houdemont, inde iterum in

Avon, ubi d. 14 Iul. 1878 Episcopus Ordoñez, e patria sua Aequatore expulsus, ei manus imponit, sacerdotis conferens in aeternum dignitatem.

Postero die in ipsa prima Missa celebranda primum sensit ictum illius mali incurabilis (epilepsiae, quamquam formae mitioris), quod dein per 29 annos videbatur quidem evanuisse, at ultima vitae periodo magna eius crux evasit.

P. Provincialis Desurmont, sicut alios multos Alsatinos et Lotharingos, ita etiam iuvenem P. Runner exeunte a. 1880 in Hispaniam, misit cui recentissimae Vice-Provinciae (1878) pauci Congregati tot tantaque servitia praestitere, quam confrater cuius necrologium scribimus. Qui vix trimestre addiscendae novae linguae dicaverat, cum iam apostolatam nostrum in variis dioecesibus Paeninsulae exercere coepit, et successu quidem optimo. In universum in Hispania praedicavit 170 missiones aut renovationes, 150 cursus exercitiorum ad sacerdotes aut seminaristas aut religiosos aut religiosas, annuatim terna quaternave novendialia multosque alios sermones.

A. 1890 renuntiatus est Rector in domo studentatus, a. 1884 Asturicae condito¹, et inde ab initio tam praeclaras ostendit facultates in gubernanda communitate, acquirenda cleri populique sympathia, reperiundo succursu oeconomico, ut per duo decennia semper magistratus habenas retinuerit, a. 1894 nominatus Spinensis Rector, d. 19 Nov. 1895 totius Vice-Provinciae Superior, immo a. 1900 primus Superior Provincialis autonomae Provinciae Hispanicae; a. 1904 ei rectoratus Matritensis, post triennium Asturicensis committitur, donec infirma valetudo eum ab opere cessare coëgit.

Qua (Vice-)Provincialis et Rector localis singulariter de templo Matritensi Succursus Perpetui meritus est, cuius structuram, ob pecuniae defectum diu intermissam, feliciter ad finem perduxit, credito 80 000 francorum a Provincia Gallica recepto; eidem magnum organum procuravit et cultum Matris perpetuo succurrentis ibi impense promovit. Etiam folia periodica *El Perpetuo Socorro* ei suum ortum debent (1899). Nec silentio praetereunda ea quae pro condenda domo Lusitana *Lourosa* (1903), eheu iam a. 1910 suppressa, ac pro fundando in *Carabanchel Alto* prope Matritum monasterio monialium a SS. Redemptore (1904) sedulo perfecit². Asturicae a. 1907 prudentia sua ultimam reportavit victoriam magnam, cum vetustum murum civitatis, collegio nostro adiacentem ac multiplicisurbationis causam, nobis acquisivit.

Facile intelligitur actiuo P. Runner magnam fuisse sacrificium, cum morbum illum implacabilem, de quo supra diximus, iterum sentire coepit. Superiores autem tum melius iudicarunt eum ad populares suos remittere.

¹ De ea cfr. *Analecta* XIV (1935), 240-245.

² Cfr. C. HENZE, *Die Redemptoristinnen*, 171 sq.

Itaque a. 1911 P. Runner moerens dilectae Hispaniae, laborum triumphorumque suorum theatro, valedixit ac reliquam vitam Epternaci inter iuventam Provinciae Argentoratensis transegit, admirabili constantia omnia Regulae praescripta pro viribus in praxim cotidianam deducens. Etiam in audiendis confessionibus, sive confratrum sive saecularium, erat assiduus.

Laudes aegrotantis, etiamtum viventis, publicarunt *Annales Provinciae Hispanicae* (fasc. 3) et opus R. P. Raymundi Telleria *Un Instituto Misionero* (1932). Ad aureum professionis iubilaeum (1922) e longinqua Hispania Epternacum venit P. Provincialis Mutiloa (hodie Episcopus Tirasonensis) cum P. Chavatte, id quod confratri iubilato insigni fuit solacio; quinimmo hac occasione in refectorio tanta vivacitate, et Hispanico quidem sermone, dixit, ut in iuventutem rediisse videretur. Iam inde ex a. 1914 gaudens solitariae suae vitae comitem recepit R. P. Raymundum Stahl, civem suum, quem antea in Hispania diu habuerat socium suae in terra aliena comorationis.

P. Runner nunquam de sorte sua dura querebatur, neque in extrema senectute, cum Missae celebrationi renuntiare cogeretur. Exinde cotidie pie recipiebat s. communionem, etiam ipso die obitus (26 Apr. 1935). Brevi post mors venit quasi amicus, et bonus confrater, in camino tribulationis probatus, sine agonia, recepto etiam extremae unctionis sacramento, inter confratrum preces hora 8 exspiravit. R. I. P.
